DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

J. Sibbald, Auctore.

PROŒMIUM.

Pneumonia a multis auctoribus iste dicitur morbus, in quo substantia pulmonum solummodo afficitur, et ubi pleura inflammatur iisdem auctoribus Pleuritis appellatus est: cum autem hi morbi plerumque conjungantur, et

cum eorum causæ et cura omnino eædem sint, eos sub nomine Pneumoniæ includere volo.

Pneumonia a Culleno celeberrimo ita definitur.

Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis.

"Pneumonia (Peripneumonia) pulsu non semper duro, aliquando molli; dolore thoracis obtuso; respiratione perpetuo difficili, sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumque humida, sæpe cruenta."

"Pneumonia (Pleuritis) pulso duro; dolore, plerumque lateris, pungente, sub inspiratione præsertim aucto: decubitu in latus molesto;

tussi dolentissima, initio sicca postea humida, sæpe cruenta."

Pneumonia merito sibi vindicat attentionem Medicorum Britannicorum, quia multo frequentior est in hac regione, quam in aliis, propter cœlum varium et mutabile.

Quoniam munus pulmonum magni momenti, et ad vitam adeo necessarium sit, perspicuum est, eorum functiones pro certo tempore, non posse impediri, nec turbari, sine maximo periculo, vel subita morte.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus cum rigoribus, aliisque indiciis pyrexiæ, plerumque aggreditur; sed in diversis casibus multum variat, in quibusdam febris gravior, in aliis levis est, et paulatim increscit. Pulsus plerumque frequens, plenus, validus, et durus, sed interdum debilis, mollis, et irregularis est, præsertim in stadio morbi provecto.

Aliquando omnia symptomata eodem tempore adoriuntur, sed sæpius pyrexia horis quibusdam formatur, antequam dolor, vel alia indicia sese ostendunt.

Dolor plerumque acutissimus adest, et inter spiritum, tussim, sternutationem, vel quicquid corpus concutit, multum augetur. Nonnullis est persuasum dolorem sæpius in latere dextro, quam in sinistro adesse sed hoc non constat. "Pars frequentissima in latère circa "costam septimam est."* In aliis casibus vix ullus dolor adest, sed potius sensus ponderis, et oppressionis, super totum thoracem, cum doloribus obscuris: dolores vel fixi sunt, vel ab una parte ad alteram tendunt, ut e latere ad spinam dorsi, vel ad scapulam. Æger respiratione difficili et tussi multum vexatur, et difficultas spirandi inspiratione plena, et positura supina, vel quum in latus affectum recumbat, valde augetur. Sæpissime non omni-

* Cullen's First Lines, vol. i. p. 210.

no spiritum trahere potest, nisi corpore erecto, quod siquando incumbat, sensus intolerabilis suffocationis eum statim resurgere cogit. Interdum tamen æger in neutrum latus, sed solummodo in dorsum incumbere potest. Tussis, aliquando haud multa, sed plerumque valde violens, magnum dolorem efficiens, hunc morbum semper comitatur; interdum, præcipue ad initium sicca, sed postea humida est; et sputum valde varium spissitudine, colore, et crebro cum sanguine mistum est. Facies sæpe tumida ac turgida, et aspectus magnæ anxietatis, plerumque calor cutis magnus, sitis immodica, sæpe dolor capitis, et oculorum, et aliquando delirium adsunt. Alvus plerumque adstricta est; urina varii coloris, in primo stadio parca et limpida, sed postea rubra, et finem versus si morbus amovendus sit, sedimentum lateritium deponens. Si curatio pa-

rum feliciter cedat, omnia symptomata ingravescunt, spiritus difficilior evadit, sudores partiales, frigidi, ac viscidi, delirium, prostratio virium magna, et mors.

DE MORBI FINIBUS.

PNEUMONIA vel Resolutione, Suppuratione, Gangræna, vel in terminatione sibi peculiari desinat, nimirum effusione seri vel sanguinis in membranam cellularem pulmonum.

1*mo*, *De Resolutione.*—Hæc omnium terminationum magis petenda, et quam citissime obtinenda est; ante vel circa diem septimum, vel multo serius accidat, si febris modica fuerit: sed sine aliqua evacuatione evidente raro evenit. Signum faustum est, si sputum copiosum, liberum, flavum, vel etiam cum sanguine mistum sit, si exhalatio per cutem co-

piosa et generalis evadat, pulsus mollior, et tardior, alvus biliosa, vel urina in magna quantitate reddita, sedimentum lateritium deponens, et si eodem tempore cum iis, calor et alia symptomata pyrexiæ minuantur, hanc finem sine dubio expectemus.

2*do*, *De Suppuratione*.—Quum morbus diuturnus fuerit, e diebus decem scilicet ad quindecim, sine signis resolutionis, suppuratio expectanda est, præcipuè si remissio doloris, cui sensus ponderis et oppressionis in pectore successerit, si pulsus mollior et frequentior evadat, si difficultas spirandi permaneat, vel augescat, si rigores frequentes, ac tussis violens, et sicca, et si febris hectica adsit, perspicuum est inflammationem in suppuratione terminasse.

3*tio*, *De Gangræna*.—Hæc terminatio haud

tam sæpe occurrit ut putetur, et quum adsit plerumque cum effusione conjungitur.

4*to*, *De Effusione.*—Quum morbus in morte desinat, hæc est terminatio generalis, et plerumque subito accidit, e materia effusa in membranam cellularem pulmonum, vel cellulas ærias, qua aditus æris, et circulatio sanguinis impediuntur.

Effusio sæpe cognoscitur dolore obtuso, respiratione magis et magis vel subito difficili evadente, vultu livido, pulsu exili et inequali, singultu, et stupore.

SECTIO CADAVERIS.

THORACE patefacto, pleura pulmonalis multum inflammata, et densior solito reperitur, etiam lamina lymphæ coagulatæ obducitur, quæ adhæsiones frequentes intra pleuram pulmonalem, et pleuram costalem, format. "Pulmones multo magis vasculares, et ponderosiores sunt quam in statu naturali, ab quantitate sanguinis in vasis, et extravasatione lymphæ coagulatæ."* Major vel minor quantitas liquoris serosi etiam in cavitate thoracis invenitur, et sæpe cum pure miscetur: In aliis casibus magna copia sanguinis exhibetur; tubercula quoque crebro adsunt.

* Bailie's Morbid Anatomy.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ in causas prædisponentes, et excitantes, commodissime divisæ sunt.

Causæ Prædisponentes.—Illi temperamento sanguineo, habitu corporis pleno, et robusto præditi, huic morbo opportuni sunt: et etiam ii intra annum ætatis quadragesimum et sexagesimum; certæque tempestates anni, præcipuè hyems, et ver, ab cœli mutationibus magnis, ac subitis, quæ iis temporibus accidunt, multum huic morbo etiam prædisponunt. Qui pneumonia olim laborarunt, magis quam alii obnoxii sunt; vitia pulmonum priora, etiam multum conducunt; victus lautus, usus

liquorum spirituosorum, alvus adstricta, vel suppressio evacuationum solitarum, etiam huic morbo corpus obnoxium facit.

Causæ Excitantes.—Causa excitans frequentissima, frigus corpori calido applicatum est, quo modo exhalatio per cutem impeditur: vel aer frigidus in pulmones sumptus. Ab exercitatione corporis violenta, loquela diuturna, et sonora, inflatione instrumentorum musicorum, et injuriis externis pectori illatis, nonnunquam oritur. Rubeolæ et Catarrhi etiam sæpe symptomatica est.

DIAGNOSIS.

Morbi quibuscum pneumonia præcipue confundi potest *Catarrhus*, *Hepatitis*, *Pleurodynia*, et *Carditis* sunt. De notis quibus singuli dignoscantur, pauca memorabo.

Catarrhus.—Pneumonia ab dolore plus minusve acuto, in aliqua thoracis parte, et sub inspirationem plénam aucta, cognoscenda est. Catarrhum angustiæ sensus, parum inspiratione plena auctus, cum gravedine, et coryza comitatur, et febris haud adeo violens est.

Hepatitis.—Situs doloris in hypochondrio dextro, et ad claviculam, vel summum humeri dextri ascendentis, hic nostram attentionem postulat, et dolor sub inspirationem plenam, parum vel haud omnino auctus, tussis sicca, singultus, et vomitus, fere semper in Hepatitide, sed non in Pneumonia adsunt; in Hepatitide æger in latus affectum decumbit, sed in Pneumonia contrarium est.

Pleurodynia.—In rheumatismo musculorum intercostalium, dol r maxime augetur corpore flexo vel sinistrorsum, aut dextrorsum; vix ulla tussis, vel difficultas spirandi adest, et febris aut parva vel nulla est. Rheumatismus plerumque etiam fit in aliis partibus corporis.

Carditis.—Dolor in regione cordis, anxietas, pulsus irregularis, palpitatio et syncope, hunc morbum satis exhibent.

PROGNOSIS.

Quum remedia tempestivè adhibita sint, quum febris lenis sit, respiratio haud difficilis, dolor modicus, sputum copiosum, et facile, sudor calidus, liber, et generalis, et urina sedimentum lateritium deponens, felix est.

Infelix est, quum remedia vel neglecta, vel sine ullo commodo adhibita fuerint, si febris maxime gravis sit, pulsus celer, et irregularis, spirandi maxima difficultas, calor cutis magnus, dolor acutus et fixus, vultus lividus, sudores partiales, et cum æger in dorsum tantum decumbere, vel in positione corporis erecta, facile spirare possit.

RATIO MEDENDI.

Curatio hujus morbi venæsectione, aliisque modis inflammationem minuentibus, conanda est; et quod cura ejus ex remediis tempestivè adhibitis maximè pendeat, perspicuum est, quo citius adhibentur, eo magis faustam fore.

MISSIO SANGUINIS.

In curatione omnius inflammationis, hoc remedium, locum primum, et præcipuum, tenet, et initio hujus morbi præcipuè, inflamma-

tionem resolvere, et febrem temperare, igitur quo citius sanguis mittitur, eo effectus faustiores sequentur; ex orificio magno, et in pleno rivo abstrahi oportet, et "secundum Cullenum "maximo commodo ex brachio lateris affec- "ti."* Quantitas detrahenda, ad violentiam morbi, et vires ægri variat. Quidam usque ad syncopen sanguinis detractionem præscribunt, sed hoc non sæpe monendum est, quia in diversis casibus, variis temporibus accidit. Alii animo linquuntur priusquam paucas uncias amiserunt, et in aliis casibus, syncope non inducitur donec jactura sanguinis maxima fuerit. Quum syncope prima venæsectione inducatur, iterum repetenda est, et plerumque evenit, ut missionem sanguinis secundam vel tertiam melius patiantur. Idoneum est ple-

* First Lines, vol. i. p. 224.

rumque, sexdecim, viginti, vel etiam viginti quatuor uncias, detrahere; autem raro evenit una venæsectione morbum curari; sed post remissionem minorem, vel majorem, omnia symptomata quæ prima venæsectione multum levata erant, sæpe tanta cum violentia ac antea revertuntur. Si inflammatio prima missione sanguinis haud vincatur, bis terve in eodem die, et fortasse in eadem quantitate ut antea, repetenda est, si symptomata haud priusquam leventur, et si vires ægri sinant. Sed missione sanguinis generali, debilitas sæpe inducitur, et hinc alii morbi sæpe oriuntur, in hoc casu igitur cavendum est. Plurimum commodi ab cucurbitulis cum ferro, vel hirudinibus quam proxime parti affectæ applicatis, sæpe obtinetur.

EPISPASTICA.

Post venæsectionem Epispastica sunt remedia efficacissima, ad inflammationem minuendam; et inter ea emplastrum cantharidis maximè laudatur. Nondum inter medicos convenit, quando potissimum emplastrum e meloe vesicatorio imponeretur, sed plerumque opus est sanguinem mittere, et inflammationem minuere, antequam imponitur. "Some difficulty remains about the time of application, "whether it is best to apply the blister in the "beginning, or to wait till the pulse be softened "by frequent bleeding. The experience which "I have had, induces me to prefer the former; "for, in treating great numbers in the hospitals, I found no inconvenience from using "the blister immediately after the first bleed-

" ing, but, on the contrary, a more sudden " and certain relief. Nay, frequently, when " the surgeon was not at hand, I have had " the plaster put directly to the side, and the " patient bled afterwards; being satisfied if " the vein was opened before the flies had " time to stimulate."* " Non tamen dissimu- " landum est, vesicatoria sæpe per suum sti- " mulum totum corpus aliquantum excitare, " pulsusque imprimis festinare, quod gravi " inflammationi, fortasse cum vehemente fe- " bre, omnino alienum videtur; sublevata vero " inflammatione, febrem ipsam brevi minuunt: " hinc autem fit, ut omne eorum beneficium " non semper prius perspicuum sit quam ipsa " sublata fuerint, eorumque irrritatio desierit; " et ut nonnunquam primo nocere videantur,

* Pringle's Diseases of the Army, p. 141.

" quamvis post aliquot horas utilissima fu-
" tura."*

Epispastica non solum magno dolore urgente, sed etiam cum magna oppressio spirandi adest, maximè prosunt; dolorem, irritationem, et tussim mitigant, et aliquando detractionem sanguinis minus necessariam, vel in aliis casibus omnino supervacuam reddunt; sæpe necessarium est ut Epispastica iterentur, et tunc prosunt quam proximè parti affectæ applicata. Nonnullis persuasum est, ulcera perpetua, ab irritatione Unguenti Cantharidis, vel Unguenti Resinosi multo utiliora; sed credo contrarium esse, et Epispastica magis prodesse.

---

* Greg. Consp. Med. Theoret. p. 598.

PURGANTIA.

Remedia hujus classis quæ adhibentur, sunt, Senna, Oleum Ricini, et alia mitiora, sed præ omnibus sales medii anteponendi sunt: præsertim in initio morbi si alvus adstricta sit, ad purgationem inducendam, et constipationem evitandam, adhibentur. Enemata emollientia in nonnullis casibus quoque prosunt.

DEMULCENTIA.

Si tussis urgentissima sit, demulcentia mucilaginosa et oleosa, irritatione levanda, multum commodi sæpe producunt. *Ut Mucilago Mimosæ Niloticæ, Decoctum Altheæ, Aliaque.*

EXPECTORANTIA.

Quod hic morbus expectoratione sæpe terminatur, variis modis eam promovere conandum est; sed remedia hujusmodi raro multum commodi secum afferunt. Scilla maritima interdum adhibetur, sed ad vomitum ciendum obnoxia, igiturque cautè adhibenda est. Antimonialia omnium expectorantium efficacissima sunt, præcipuè si in parvis dosibus, ut nauseam excitent, adhibeantur. Multa alia expectorantia laudata sunt, sed haud multum prosunt.

DIAPHORETICA.

Diaphoretica quoque utilia, sed cautè adhibenda sunt. *Ut Mistura Salina, Antimonialia, &c.*

OPIUM.

Hoc remedium non ante inflammatio venæsectione et epispasticis debellatur, adhibendum est. "Vix ulli profecto medici liberum opii "usum post largas sanguinis missiones inter- "diciunt; putant enim opium tuto rectèque in "omni inflammatione adhiberi posse, si modo "diathesis phlogistica primo amoveatur."* Quum opium in initio hujus morbi exhibetur, obstat expectorationem, igitur cavendum est. "In peripneumonia et pleuritide, præter al- "vum ducentia, expectorantia quoque submi- "nistrare oportet; in his enim morbis sputi "suppressio malum semper portendit, et vix "unquam amoventur hæ phlegmasiæ nisi

* Remmet's Dissertatio Inaug. de Opii Usu, p. 31.

"sputi ope. Si igitur opium in his morbis "exhibere velimus, expectorantibus, qualia "sunt scilla, epispastica, &c. etiam uti con- "veniat."* Sed opium in hoc morbo præci- puè adhibetur, cum dolor et difficultas spi- randi subducantur, et cum tussis indicium ur- gentissimum sit.

DIGITALIS.

Digitalis quibusdam multum laudata est, sed quia sæpe vomitum ciet, cautè adhibenda est : actionem cordis et arteriarum minuere, et in hoc modo venæsectionem juvare, adhi- betur, et præcipuè in iis casibus ubi magna debilitas adest. Vel in forma pulveris, vel tincturæ ea utendum est.

* Remmet, p. 34.

Diæta in hoc morbo, tenuissima esse debet, quia æger facile opprimitur, igitur vegetabilia præcipuè adhibenda sunt: Poma atque olera alimentum tenuissimum præbent. Carnes cibique ex iis confecti, liquores ardentes, vel quicquid corpus stimulare potest, sedulo evitanda sunt. Cubiculum ægri eadem temperie, intra gradum Thermometri Fahrenheitani quinquagesimum, et sexagesimum, servandum est. Stragula multa cavenda sunt, cum lanula proximè ad cutem vestiri, et omnes causas excitantes vitare, debet, quia nullus morbus ad redeundum magis proclivis est.

FINIS.